

SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo explentes.

TRIBUS 5. HOLOTHURIA (vera).

Subcylindricae, dorso, sed minus quam Psolorum, convexo, extremitatibus rotundatis, ano rotundo postico, ore rotundo antico, plerumque paululum infero. Tentacula viginti, peltata, satis brevia, in duplici alternantia serie. Pedes tubulosi retractiles fortasse in omnibus etiam in dorso inveniuntur, et apice disco concavo instructi sunt, quo cucurbitulae instar firmari possunt.

Sp. 8. *Fuscopunctata*. Collect. Schoenl.

Subcylindrica, semipedalis, extremitate posteriore subinflata, rotundata. Venter planiusculus, albidus, punctis minimis fuscis raris. Dorsum intense fuscum in primis antice, innumerabilibus punctis minimis fuscis, in lineolas dispositis. Pedes in dorso aequae ac ventre conici membranacei.

Dubia adhuc haec mihi species; ex Celebes missa.